DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
ENCEPHALITIDE
INFANTUM

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA IN CELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Thomas Georgius Oppitz,

Olomucensis

Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Januarii 1837.

Vindobonae.

Typis Francisci Ludwig.

Non est in medico semper relevetur ut aeger
Interdum docta plus valet arte malum.

Ovidius.

Heitern Sinn und reine Zwecke
Und man kommt wohl eine Strecke.

Göthe.

Doch der Segen kommt von Oben.

Schiller.

SPECTABILI AC DOCTISSIMO

DOMINO

AMICORUM DILECTISSIMO

COLLEGAE ORNATISSIMO

Joanni Nep. Burian,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, OBSTETRICES ET OPHTHALMIATRICES MAGISTRO, INCLYTAE LEGIONIS PEDESTRIS ARCHIDUCIS RAINER Nro. XI MEDICO CASTRENSI SUPERIORI

HOC

SPECIMEN INAUGURALE

UT

PUBLICUM PIETATIS

MONUMENTUM

DEDICAT

Auctor.

Praefatio.

Has lege academica jussas litterarum primitias conscripturus ex immenso rei medicae campo selegi: „Encephalitidem," aetati infantili maxime consanquineam. Quin, quod, quae dicam et dicere possum, nova putem — de cujusvis enim monographiae inanitate post tot et tanta praestantissima opera practicorumque ornatissimorum observationes — optime persvasus; his pagellis saltem, quae in aliis ad claram et distinctam morbi genesim, diagnosim, prognosim et therapiam sistendam, congrua inveni; modo simplicissimo publice reddo, simulque aequam virium nondum tentatarum dijudicationem efflagito.

Auctor.

Conceptus.

Encephalitis infantum ad perfectam usque cerebri evolutionem saepissime obvia (die Gehirnentzündung der Kinder) consistit in exaltata actione cerebri cum irritatione, intensiori in hoc vita et opimante vegetatione atque peculiari nisu in serosam aut lymphaticam exsudationem.

Synonima.

Quae in nosologorum scriptis hujus morbi obveniunt denominationes synonimae sunt seguentes consvetissimae:

Hydrocephalus acutus,
Hydrops ventriculorum cerebri acutus,
Hydrocephalus internus,
Phrenicula,
Febris hydrocephalica,
Fievre cerebrale
Hydrocephale interne sub aigue
Water in the Brain.

Quoniam vero ennarata nomenclatura ne minime ab essentia et natura intima morbi sit

desùmta, sed solummodo sequelam primitivae cerebri affectionis spectet, nos Celeber. ac Clariss. Prof. et Consiliar. de Bischoff et Formey duces sequuti nomen adoptatum magis logicum et definitioni accedens sèlegimus.

Morbi imago.

Nisi cyclum suum fulminis adinstar uno quasi absolvit curriculo, ubi sub nomine apoplexiae aquosae (Wasserschlag) innotescit, quatuor hujus morbi distinquuntur stadia, nimirum:

I. stadium turgescentiae.
II. — inflammationis,
III. — exsudationis
IV. — Paralyseos.

Attamen casus non admodum raros invenies, ubi primum et secundum, tertium et quartum stadium coincidunt, ideo medico consultanti perarduum est definitu, initium et finem cujus libet stadii apprime semper ennuntiare.

Quapropter etiam divisio in certa et distincta stadia a pluribus scriptoribus fuit rejecta.

Ut vero totius morbi claram saltem ideam percipiamus, divisionem mox statutam retinebimus.

Symptomata turgescentiae.

Infantes ergà res, quarum antea studiosissimi erant indifferentes evadunt et valde sen-

siles. — Morositas et quasi indecentia in locum pristinae vivacitatis, vigoris et garrulitatis succedunt.

Florida pallescit facies, languet oculorum vigor, totusque adspectus meditabundum prodit.

Juniores infantes, si e lecto suscitantur vertiginem ostendunt et repentinam temulentiam, natu majores nunc ipsum conqueruntur, dolores in artubus, in nucha, in suris plantisque pedum accusant, quos juniores motu manuum ad occiput et plorando, si incedunt, indicant. Incessus insuper infirmus, titubans frequensque exinde lapsus.

Aestus ad frontem, somnolentia sine somno, ne minime recreante cum vaniloquiis aut gemitu levi, suspiria involuntaria, profunda. Peculiaris sub ejulando sonus, subraucus, ejulatus subitanei.

Mens pedetentim vix compos ac suscitatus aeger aut nihil, aut verba intersecta, incongrua, defectum aliquando memoriae indicantia profert.

Vomituritio et ipse vomitus fere sub motu vel solum capitis, vel totius corporis, cum potulentorum potissimum, raro et esculentorum evacuatione.

Efflorescentia exigua, tenuis, sicca ad ge-

nas, labia et faciem internam brachiorum, ilii sub dentitione quodam modo similis.

Urinae turbidae, seri lactis adinstar, post moram puncta offerentes et particulas micantes. Alvus plerumque constipa.

Pulsus summe variabilis, mox tardus, mox velox, febris tamen manifesta defectio.

Imminuta pharmacorum efficacia, praesertim purgantium et emeticorum.

Admodum vero difficilis est diagnosis hujus stadii in infantulis paucorum solum dierum, hebdomadum et mensium, hinc quandocunque infantuli parum aut nihil dormiunt, insolite et repentine ejulant, si cubantes occiput pulvinari intrudunt, et sub gestatione caput illico admovent, si erga lucem, tinnitum levisimumque tactum admodum sensiles evadunt, si ubera vel alia nutrimenta repudiant, si sub motu, praeprimis capitis repente plorare desinunt, si manus multum ad nucham movent, si fascias minus rariusque inquinant, si denique vel totum caput vel frons vel regio nuchae magis calescunt cum reliqui corporis calore imminuto, summe monitos volo omnes, quorum interest, tu vitam infantulorum incolumem reddant, ne haesitent medici auxilium implorandi, qui hosti subdolo obicem ponat.

Duratio hujus stadii fluctuat inter duos, tres, quatuor ad summum quatuordecim dies.

Symptomata inflammationis.

Cephalea vehemens, praesertim frontalis ad tempora usque aut totum per caput expansa, quam infantes, quibus adhuc loquela est denegata manuum motu ad frontem et nucham ostendunt. (Richter, Jörg). Aestus capitis insignis.

Pervigilia aut somnus interruptus cum insomniis angentibus, cum dentium stridore, si his jam instructi sunt, cum motibus automaticis manuum ad caput, femora et pubes.

Liniamenta faciei pallidae mutata.

Oculi in orbitam quasi retracti, morbose sensiles cum pupilla coarctata, sub somno semiclausi, divergentes, lacrimis ac si fletus immineret innatantes, interdum super genas defluentibus; vasa adnatae sanquine scatent.

Auditus valde acutus.

Nares siccae, labia sicca, fissa, halitus ingrate olens, linqua consvetim humida et pura, vel tenui muco tecta.

Carotides fortiter pulsant.

Situs plerumque lateralis admodum vero variabilis. Frequens anxietatis sensus.

Anorexia et apepsia, iteratus vomitus cum

putrido ejectorum foetore, praesertim post potulenta, majorem trunci erectionem, aut majorem motum.

Dolor in epigastrio et hypochondrio dextro obtusus et perstans.

Regio umbilicalis fere plana evadit vel imo concava, licet abdomen prius extensum fuisset.

Cutis constanter sicca, anserina.

Pulsus frequens, sed irregularis et valde mutabilis, interdum multo tardior sano.

Alvus plerumque silet, nonunquam vero secretiones alvinae observantur mucosae, coloris viridis.

Hocce stadium modo paucis solum, modo et quatuordecim diebus et ultra durat.

Symptomata exsudationis.

Transitus sensilitatis summae in anaesthesiam, situs in lecto obliquus, erigendi impotentia, motus automatici frequentes manus tremelae ad caput, hocce relabente, dum truncus erigitur, actio digitorum in aures, os et praesertim in nares siccas.

Somnus profundus cum deliriis, ex quo suscitati infantes exterrentur.

Facies pallescens, saepissime vero genae circumscriptae, quarum nonnunquam una so-

lum rubet et quidem teste Ludwig aut dextra, aut sinistra, prouti transudatio vel in hoc, vel in illo latere intus contigerat.

Strabismus cum obtutu consvetim deorsum directo, diplopia aliique visus hallucinationes, motus palpebrarum semihiantium spastici, imo et non raro amaurosis.

Auditus morbose auctus,

Vomitus plerumque cessat, infantes avide devorant omnia sine discrimine, quae ipsis porriguntur, dummodo id contingit in situ horisontali et capite suffulto.

Respiratio debilis et rara. Halitus male olens. Loquela sic dicta nasalis,

Cutis sicca, rugosa.

Pulsus eminenter tardus et irregularis, Alvus constipa. Urinae limpidae, profunde tinctae, non raro involuntarie fluentes et parcae.

Ad stadii hujus finem quandoque conscientia plena, usus sensuum, loquela, aliqualis appetentia ciborum rerumque lusoriarum, nec non attentio redeunt, ast brevi post spei vanae horrenda ingruunt stadii ultimi signa.

Symptomata paralyseos.

Spasmi universales, tam clonici, quem tonici, praecipue opisthotonus.

Febris intensa, sudores profusi, praecipue capitis.

Rubores genarum circumscripti.

Echymoses conjunctivae bulbi, amaurosis.

Baryecoia vel surditas.

Deglutitio difficilis vel plane imposibilis.

Vomituritiones sine vomitu.

Respiratio difficilis stertorosa. Halitus foetens et gelidus.

Stillicidium sanguinis e naribus, extremi digiti palmaque manus rubent.

Tremores brachii non paralitici.

Extremitatum aestuante adhuc capite frigus et intumescentia.

Pulsus filiformis, tremulus, intermittens.

Spasmorum denique solutio et placida mors scenam funestam claudunt.

Morbi totius duratio.

Morbus omnia nunc enumerata vitae suae stadia percurrens, varia gaudet duratione, quae ab aetate et constitutione infantum, majori aut minori cerebri receptivitate, ab ardore et gradu momentorum excitantium, ab usu remediorum propinatorum et tempore, quo propinantur multifarie modificatur.

Whytt sex hebdomadum, quatuordecim autem dierum Fothergill et Ludwig to-

tius morbi curriculum statuerunt; quum vero encephalitidem simul calculo includant, terminus medius videtur ad sex hebdomanas statuendus.

Secundum Jörg finis morbi, i. e. mors octavo die intrat vel post duos menses.

Gölis vero contendit limites durationis a 13. 17. usque ad. 24—30. diem.

Necroscopia.

Quae resultant ex defunctorum sectione cadaveris, adducamus sequentia:

Maculas caeruleas, livores ad caput, dorsum, pectus et brachia.

Suturas crani saepissime coloratas.

Integumenta capitis incisa plus solito cruore manantia.

Copiosum saepe serum mox adaperto cranio prosiliens. Tale extravasatum sub arachnoidea, circa tentorium et foramen occipitale, quin etiam ad ipsum columnae vertebralis initium.

Piam matrem cum vasis sanguiferis ac si arte injecta essent, nonunquam meninges crassiores, inter se cohaerentes cum lympha coagulabili aliisque praegressae inflammationis notis, alias praeter vasorum sanquiferorum

turgorum ac extravasatum, nil quod de praevio processu inflammatorio testaretur.

Cerebri substantiam mollem, flaviusculam, punctis rubris insignitam, sinus plerumque vacuos. Ventriculos cerebri anteriores saepe volumine quam maxime auctos, sero ad uncias duas, tres, ad summum sex repletos, aliquando serum in alterutro solum horum ventriculorum, rarius in ventriculo tertio et quarto.

Plexus choroideos pallidos, granosos extenuatos, turgidos saepe cum hydatidibus.

Pulmonum dextrum ab hepate volumine aucto in angustum spatium pulsum, hocce viscus coloris rosei tuberculis albidis refertum *) et intestina aliquando subinflammata.

Ad humorum in cranio extravasatum quod spectat, eum indole a sero aliis in hydropibus collectis differre, mox asseritur, mox negatur. Exactissimam illius analysin egregiis Marcet et Berzelio debemus. Secundum illum **) continet:

Aquae 990, 80.
mater. anim. 1, 12.
muriat. sodae 6, 64.

---

*) Affectio hepatis in hoc morbo primum a Cheyne observata est.

**) Medico-chirurgic. transact. 2 V. 1813.

carbonat. sodae 1, 24.
phosphat. calcis, magnes. et ferri 0, 20.

Quod ad Berzelii *) experimenta adtinet, humor ex ventriculis cerebri collectus, quasi purum sanguinis serum considerari potest, quod maxima albuminis sui parte, nempe $^2/_3$ ad $^4/_5$ privatum sit, ut vix fortissimo igne massa quaedam coagulata ex illo sensim separetur. Reliquum fluidum evaporando, subsidunt crystalli salis culinaris, inter quas colligitur materies brunea extractiva, quae ex soda pura, lactate sodae et peculiari principio animali extractivo, sal istud per omnes humores animales constanter comitante, componitur **).

Restat adhuc hic verba facere de observationibus, quas sagaci ingenio de encephalitide infantum optime meritorum debemus medicorum, qui sibi ex diversa sede extravasati, didiversitatem morbi symptomatum explicavere. Docent nempe, quod ubi hydrocephalus acu-

*) Schweiggers neues Journal für Chemie und Physik, Nürnberg 1814, X. Bd. 4. Heft, p. 503.

**) Respicientes decursum morbi modo acutissimum, mox acutum, mox segniorem, porro actatem aut juniorem aut provectiorem, tandem extispicium interdum protractum, nunquam inficias ibimus, haec per sectionem pathologicam detecta nuncque recensita non semper et ubique eadem, sed diversis obversari modificationibus.

tus profundissimo lethargo et brachiorum ad thoracem adductione stipatus est, serum copiosum inter cranii partem superiorem cerebrique superficiem externam invenitur; — quod obvenientibus primo vomitu, singultu, pupillae dilatatione, strabismo, palpebrarum spasmis et paralysi, ventriculi dein anteriores cerebri extravasatum exhibent; — quod ubi haec ipsa palpebrarum et oculorum vitia in uno tantum latere prodeunt, ibi extravasatum oppositum cerebri ventriculum detinet; — quod praegressis dentium stridore, motu convulsivo musculorum faciei et colli, serosa colluvies circa cerebellum sedem figit; — quod observatis aphonia, deglutitione impedita, paralysi brachiorum, liquor extravasatus medullam oblongatam amplectitur, — quodque praeviis convulsionibus universi corporis, hic liquor specum vertebralem attingit. —

Observat praeterea E. Home *) quod circumscripta sede extravasati, e. g. in cellulis, ad cornua anteriora et posteriora ventriculorum lateralium, aeger alvi tarditatem et dolores imi ventris accusat, — quod sero, exclusive ventriculum tertium detinente, intensam

---

*) Philosophical transactions, quae continent: E. Home, observations on the functions of brain. Read the 26. Mai 1814. p. 255 — 257.

cephaleam et aphoniam patitur; — quod accumulato seroso latice in ventriculis cerebri et sub tuberculo annulari, dolor ventriculi, intestinorum et crurum obvenit; — quod illo locum obtinente inter arachnoideam et piam matrem nec non super tubercula quadrigemina, dolor occipitis et delirium occurunt; — quod extravasato simul et duram matrem attingente, melancholica imbecillitas, apoplexia et hemiplegia praesto sunt.

Quum vero serum pro varia positione, in qua cadaver manserat, varias sibi eligere et parare possit vias, quumque seri quaedam portio forte ultimis tantum vitae momentis exsudaverit, comparatio symptomatum cum phaenomenis in cadaveribus eo cautior esse oportet, cum plurima illorum cum hoc, sed non propter hoc existere possint.

Differentia a morbis similibus.

Morbos, cum quibus encephalitis infantum ob similitudinem aliquomodo symptomatum confundi posset, nominamus sequentes:

Febrem intermittentem lethargicam,

Dentitionem difficilem,

Typhum,

Hydrocephalum chronicum et sic dictam febrim verminosam.

Supervacaneum ferct — ne limites dissertationis transgredi videamur — characteris specifici priorum notas strictius determinare, sufficiat saltem hicce locorum differentiam examinare inter ultimam magis conspicuam et morbum nostri thematis:

Encephalitis infantum.	Febris verminosa.
1. Quoad naturam sisstit statum irritativum ex nimio nisu plastico sub evolutionis cerebri periodo.	Quoad naturam offert statum gastrico-pituitosum, qui in depravato digestionis opere radicem ultimam quaerit.
2. Distincta observat stadia.	Nunquam.
3. Nullas ostendit remissiones.	Apertas.
4. Victimas adgreditur ad sextum usque annum magisque pueros sanissimos, robustos et vivaces.	Nulli parcit aetati, nec sexui, attamen amat imprimis individua phlegmatica et pastosa.
5. Socios habet vehementes capitis dolores frontales ad tempora et nucham sese extendentes, pungentes.	Capitis dolores obtusos sine definita sede.

6. Jam ab initio peculiariter physiognomiam mutat.	Totus adspectus labem systematis reproductivi designat segnitiemque prodit.
7. Offert amissam apetentiam in cibos et potulenta, alvum segnem, urinas parcas, characteristicas.	Voracitatem non raro summam, evacuationes alvinas crebras magnamque lotii decoloris copiam.
8. Cutem constanter siccam.	Saepissime inter coenam sudores et semper subfebriseffervescentia.
9. Incessum titubantem, infirmum absque energia.	Desidiam motus muscularis ostendit.
10. Oculorum revere inflammationem, demum amaurosin.	Pupillae solum dilatationem.
11. Vomitum in secundo stadio vere pathognomonicum.	Solum accidentalem, forsan si in ventriculo vermes obveniant?
12. Emaciationem corporis.	Nunquam, imo contrarium.
13. Convulsiones, ut prodromos paralyseos.	Accidentales, nulla subsequa paralysi; denique effectum anthelminthicorum remediorum quae aut morbum levant aut penitus discutiunt,

Omnibus tandem, qui adhuc respectu morbi diagnoseos haesitarent, sequentia Clarissimi Jörg opponenda censeo verba:

„Dieses in unseren Zeiten öfters vorkommende Übel befällt weit mehr die gesunden und vollsaftigen Individuen, als die schwächlichen und wieder öfter die Knaben, als die Mädchen. Mit den Zeichen der hervorstehenden Erregung des Gehirns, mit der erhöhten Sensibilität der Sinneswerkzeuge, mit Schwindel und mit vermehrter Wärme im Kopfe vergesellschaften sich im ersten Stadium die Äußerungen der verminderten Lebensthätigkeit in der Haut, in den Muskeln, im Darmcanale und in den uropöetischen Werkzeugen. Dabei verhält sich der Puls entweder mehr natürlich oder er verlangsamert sich auch schon einigermaßen. Welche Krankheit gewährt eine solche eigenthümliche Zusammensetzung von Symptomen? Ich kenne keine. Noch auffallender erscheint aber die Symptomengruppe in dem zweiten Stadium. Mit den Manifestationen der höchsten Aufregung, ja mit den deutlichsten Zeichen der Entzündung verbinden sich Verminderung der Thätigkeit der Haut und der Muskelkraft, des Darmcanals und der Urinwerkzeuge, es erfolgen die Ausleerungen derselben in geringerer Quantität und seltener und doch fällt der Unterleib beträchtlich zusammen. Diese sich widersprechenden Erscheinungen nebst der Verlangsammerung des Pulses werden nur in der ausschwitzenden Gehirnentzündung, nie aber in einer andern Krankheit wahrgenommen. Vereinigt sich aber das hier in Untersuchung befind-

liche Leiden mit einer andern Krankheit, so behalten doch immer die Symptome des leidenden Gehirns so viel Charakteristisches, daß sie der denkende und scharf beobachtende Arzt unter anderen Äußerungen eines pathologischen Zustandes herauszufinden wohl vermögend ist. Was endlich die Zeichen des dritten und vierten Stadiums anlangt, so verliere ich kein Wort weiter darüber; denn sie sprechen sämmtlich so vernehmlich, daß jeder Kenner durch dieselben auf das wahre Leiden hingeführt werden muß."

Aetiologia.

Certe inter morbos infantiles haud ullus inveniendus, qui magis desudaverat ingenium sagacissimorum Aesculapis sacerdotum, quam encephalitis. Docent hoc pathologorum opinionum commenta. Multa millia infantum orci faucibus non victimae cecidissent, si morbi istius nefasti natura intima penitius examinata et perspecta fuisset.

Jam illa divi Hippocratis *).

„Aqua si in cerebro subacta fuerit, dolor acutus sinciput et tempora interdumque alias corporis partes detinet, subindeque vigor et febris, oculorum regiones dolor occupat, itaque caligant, pupilla scinditur, et ex uno duo sibi cernere homines videntur, et si quis surrexit, tenebrae ipsum prehendunt, neque ventum,

*) De morb. Lib. VII. Sect. V.

neque solum sustinent, aures tinniunt, salivam et pituitam vomitione refundit, quandoque etiam cibos etc. etc." certiores nos reddunt, patrem medicinae illum morbum nostrum quasi praesagivise, attamen notio exacta Schenkio, a Graffenberg et Vesalio, exactior Petito et exactissima Payslet et Roberto Whytt, qui ultimus propriam de hoc themate commentationem publicae disquisitioni submisit, omni jure tribuenda venit. Hos multi cum laude sunt sequuti, donec tandem inter recentissimos Celeberrimi Gölis, Formey et Jörg indefesso studio, summa sagacitate et numerosissima experientia ducti omne suum contribuerunt, ut morbi objectionis nostrae essentia et originis ratione cognita, medela ipsi rationalis offeratur. —

Nunc juxta effatum consentaneum causam proximam in praecoci et opimante cerebri evolutione invenimus. Hac ratione praevalente actione sanquinis et vasorum sanquiferorum, sanquis allicitus principiis plasticis dives in nimiam tendit cerebri nutritionem, in cujus sequelam datis circumstantiis adaucta systematis sensiferi et irritabilis reactio cum peculiari tendentia et nisu in serosas aut lymphaticas exsudationes. Hoc vero tam saepissime nec non facillime contingere, nullo modo miramur,

neminem etenim latet, quod in nullo aetatis infantilis organo sub periodis evolutionis singulorum adeo insignis allusio principiorum plasticorum obveniat, quam in cerebro, quod duce anatomia respective nimis quoad volumen superbiens, innumerisque vasculis refertum observamus. Quapropter hic morbus peculiariter solum conveniens est aetati infantili, dummodo nimirum cerebrum omni ex parte cyclum evolutionis suae absolverat, etiam hanc passionem saltem cum modo definita essentia amplius conspicere nefas.

Cognita nunc causa proxima, transeamus ad enucleandas causas praedisponentes et occasionales, ut secundum principia pathologiae rationalis totum construamus morbum.

Causae praedisponentes.

Ad has referenda:
ipsa aetas infantilis cum capitis praedominio prae reliquis corporis partibus. Dispositio haereditaria et quidem maxime obnoxii visuntur infantes ingenio acuto, collo brevi ac corpore forti instructi, quibus insuper capitis forma quodammodo globosa, ossa coronalia protuberantia harumque partes orbitales quasi retractae.

Insignis cerebri mollitics, congestiones tunc

crebrae ad encephalon, partim sub evolutionis processu, partim sympathicae sub dentitionis opere, sub statu verminoso contingentes.

Laesiones mechanicae sub partu. (Stoll) Nimis arcta infantum fasciatio, vestimenta nimis angusta.

Obstructionis hepatis, lienis et glandularum meseraicarum. Hydrocyphalus chronicus.

Tussis continua vehementior, imprimis tussis convulsiva. Morbi exanthematici imperfecte sanati.

Usus praematurus potulentorum spirituosorum et ciborum aromaticorum.

Terror, ira, metus et nimia intentio virium psychicarum, demum non satis vituperandus usus soporiferorum, quibus nutrices nefariae pusillos inquietos sopire student.

Momenta haec disponentia in eo nituntur, ut erethismum in sphaera cerebrali intendant, robur cerebri imminuant, atque majorem humorum copiam versus caput alliciant, omnes itaque conditiones in suprema corporis parte adaugere juvent, quas alioquin aetate juniori generatim praedominantes videmus.

Causae excitantes.

Huc spectant:

Commotiones cerebri exortae per vehementem

cunorum motum, per saltum, casum, per colaphos, vehementiorem capillorum agitationem (durch das sogenannte Schopfbeuteln) hystrionum et funambulorum ludos declinato diutius capite peractos, per vectionem in viis salebrosis etc. etc. —

Parro incauta capillorum recissio, inconcinna capitis velamina, refrigeratio praegressa exaestuatione. —

Insolatio, aurifluxus repente suppressus, nimis sollicita separatio pityriaseos capitis vulgo quam Germani Gneiß appellant. Retrocessio et metastasis morborum diversarum cutaneorum, imprimis: crustae lacteae, herpetis etc. —

Abusus emeticorum.

Constitutionis quoque epidemicae et endemicae influxui omnino et suum tribuendum esse, nullus dubito, quod etiam Odier *), Albers **) et Michaelis ***) observasse testantur.

Ignorantia tandem parentum aut propinquorum, qui ab initio repentinae mutationi infantum in more se gerendi aliam causam supponentes, illos puniunt, qua ratione ambitio

*) Medizin. chirurg. Abhandlung über die Wassersucht der Gehirnkammern, Mannheim 1791.

**) Hufelands Journal der practischen Heilkunde, August-Heft, 1830, S. 38—65.

***) In demselben Journal, 7. Bd. 2. Heft, S. 7.

movetur, actio cerebri incitatur, atque adeo, praesenti jam dispositione igniculum morbi clandestini urgetur.

Prognosis.

Encephalitis infantum in organorum nobilissimo vitam suam vivere consvescens, clam et subdole prima sumens initia, pertinet ad morbos gravissimos, insidiosos, summe lethales.

Hinc omnino prognosis valde anceps et dubia.

Sanationis spes ali vix potest, nisi in primo aut secundo stadio adhuc versatur morbus, inflammationis utpote vigore et qualitate ita emendata, ut funestus praecaveatur exitus. Dr. Fischer *) dicit.

„Wenn diese in den allermeisten Fällen tödtliche Krankheit noch dann und wann von der Kunst besiegt werden kann, so ist es zuversichtlich nur, wenn sie so zu sagen in dem ersten Augenblicke ihres Entstehens erkannt wird."

Si ergo remediis, ingenio et experientia propinatis symptomata turgescentiae cerebrique irritationis non solum penitus cessant, verum etiam sub protractiori indicatorum usu non

*) Horn's Archiv für praktische Erfahrung, 3. Bd. 2. Stück, S. 291.

amplius in obtutum veniunt, maxima cum probabilitate felici passionis solutioni confidamus.

Tertium *) vero et quartum stadium perfecte evolutum omne fallit artis nostrae conamen.

Ast non semper et ubique gelida mors unicus morbi exitus, verum vero et mala posthuma multifaria et tristissima aegrorum salutem infestant, quorum sunt momentosissima:

Furunculi, quibus totum inundatur corpus, amentia, amnesia, vertigo chronica, amaurosis, cophoma, epilepsia, hemiplegia et hydrocephalus chronicus.

Therapia.

Quaemadmodum in omni passione morbosa distinquimus indicationem causalem eamque morbi.

Prima omnia, quae morbum sustentare, exasperare aut decrescentem recidivam reddere valent abigenda habebit, quae ergo promanant exinde indicata in singulis casibus rationis et experientiae sibi expostulabunt cujuscunque temporis praecepta. Sic v. g. suppressae impetigines juxta indicationes restituantur oportet, aut artificialibus, quoad fieri potest supplean-

---

*) Interea et hic natura aliquando praeter omnem exspectationem miracula operatur, ad quae potissimum revocamus eliminationem seri, per nares, oculos et aures.

tur, sic potuum spirituosorum, remediorum evacuantium, narcoticorum abusus illico sistatur etc. etc.

Indicatio vero morbi hunc secundum characterem dynamicum, naturam, gradum, durationem, complicationem et individui rationes tractet necessum est.

Pro mutabili nunc stadiorum charactere encephalitis infantum diversam exposcit therabiam, quapropter hanc secundum illum determinaturi sumus.

A.

Morbo versante in stadio I. et II.

Praevalet in his stadiis character aperte vel irritativus vel fere inflammatorius, hinc methodus amplectenda erit plus minus antiphlogistica.

Priusquam autem ad elucubranda indicatorum singula transgredimur, praemittamus quaedam de regimine diaetetico.

Aegrotantes temperatae, potius frigidiusculae exponendi sunt temperaturae in cubili contra intensiorem lucis in fluxum omnemque majorem strepitum sollicite munito.

Situs in lecto, amotis culcitis plumeis, quarum vices e corio vel linteo cerato paratae suppleant, sit horisontalis capite paulisper ele-

vato, qualemcunque repentinum corporis motum solerte vitando. Nutrimenta ne minime porrigantur nimis nutrientia aut calefacientia, quod et de potulentis valet, quare victum constituant juscula tenuia, mera ex aqua confecta et fructuum acidulo dulcium modicus ad semel usus. Sitim sedamus per tenuem limonadam, aut per aquam cum saccharo vel syrupo quodam refrigerante impraegnatam.

Infantuli lactentes longioribus temporis intervallis uberibus apponantur maternis.

Virium psychicarum intentionem strenue interdicimus.

Animi nimiae mobilitati et sensibilitati summa cum patientia et blanditiis succurrimus.

Quod spectat pharmaca, illa seligamus oportet, quae turgescentiam, statumque dein inflammatorium in sphaera cerebrali obtinentem moderant, minuunt, depellunt atque discutiunt.

Hoc impetrabimus partim externis, partim internis ex penu antiphlogisticorum remediis.

Referrimus ad priora:

Sanquinis depletiones universales et locales, frigus externum sub forma fomentorum et perfusionum, cataplasmata sic dicta refrigerantia, inunctiones cum unquento Mercu-

riali et Authenrithii, sinapismata, vesicantia, clismata et suppositoria.

Ad posteriora: praecipue nitrum et diversa salina per alvum evacuantia. Enumeratorum singula strenue modo dignabimur.

1. Sanquinis depletiones cauta semper manu instituantur, ne morbi transitus in characterem adynamicum contingat.

Phlebotomia nonnisi in infantibus aetatis jam provectioris adhibeatur. Tanto magis valet sanguinis localis missio per hirudines medicinales, Cl. Jörg interdicit horum usum in infantulis priorum sex hebdomadum, ab hoc vero tempore in individuis alias robustis et integris sequens observetur amussis:

Aetas infantilis.	Quantitas sanguinis ope hirudinum ad semel eliciendi,	
a 1 — 7 mensem	1 — 3 unciae	
— 7 — 12 —	4 — 5 —	
— 2, 3 — 4 annum	4,5 — 6 —	imo etiam repetitionem.
— 5 — 6 —	7 — 8 —	

Optimus adplicationis locus ad tempora vel retro aures est censendus.

2. Frigus externum diversa adhiberi potest ratione; simplicissima est saepius repetita

instillatio Aetheris sulphurici in regionem frontis et verticis. — Alia consistit in eo, ut vel vesicula animalis contusa glacie aut nive repleta, vel linteamina quadrifariam composita aquae frigidae immersa et probe expressa capiti imponantur ea cum cautela, ut interstitia per quadrantem aut dimidium horae concedantur. —

Eminentissima vero et a Cl. Formey maximo encomio celebrata cernitur in perfusione capitis cum aqua frigida.

Juxta hanc methodum infans aegrotans, capillis antea rasis, et nucha humerisque tela cerata circumdata, de lecto levatus capite suffulto ab assistente quodam tenetur, interea alius curam gerit, ut ex altidudine modica rivulo tenui aqua frigida in frontem et capillitium delabatur. Temperatura aquae in usum vocatae sit duodecim vel quindecim graduum Reaumuri. Quantitas dimidiam vel integram situlam non excedat.

Perfusio ipsa omni hora aut bihorio die noctuque succedat et eousque continuatur, quamdiu id symptomatum effrenis ardor id exposcit.

3. Cataplasmata sic dicta refrigerantia parantur e farinae avenaceae vel secalinae una parte et semipartibus aquae et aceti, addita exigua

salis culinaris quantitate. Haec ad plantas pedum applicanda una cum fomentis frigidis, qnae capiti imponuntur, optimo cum successu adhibentur.

4. Unquentum Neapolitanum, quod in his stadiis a nonnullis laudatur medicis, nobis non arridere videtur, sicuti illud Authenrithii, hic scillicet, ubi periculum in mora, effectus horum nimis procrastinatur.

5. Sinapismata et vesicantia majorem jam exserunt virtutem, dummodo plagarum vulneratarum suppuratio diutius sustentatur. Quadrant pro adplicatione: surae, interna facies femorum et brachiorum, nec non regio intra scapulas.

6. Clismata saepius in usum trahuntur, si in votis est, effectum evacuantium suffulciendi. Componantur his in casibus ex aqua cum pauxillo aceti, saponis, Sacchari vel salis culinaris. Ad uncias sex aquae recipiatur circiter cochlear cibarium aceti vel cochlear coffeae. sacchari vel salis subtiliter pulverisati, aut saponis drachma.

7. Suppositoria tum non negligimus, si nulla alia ratione secretiones alvinas ciere valemus. Haec id utilitatis praestant, ut cito alvum moveant. Sufficit ad hunc finem frustulum

digitale debitae densitatis, saponis usitatae, ano immittere.

Restat adhuc remediorum internorum perscrutatio. Innixi principiis pharmacologiae rationalis Nitro plurimum laudis debemus quod mitissima ratione turgescentiam in sphaera abdominali conciliando, illam cerebri imminuit. Propinamus hoc remedium sub forma pulveris vel in Emulsione solutum et quidem ab initio gr 1 — 5 omni altera aut tertia hora, donec effectus desideratus in obtutum venit, serius deinde longioribus temporis intervallis, ad cujus virtutem accellerandam copulamus singulae dosi 2 — 4 grana pulv. rad. Rhei. chin. aut Jalappae tostae; Proponitur Jalappa tosta, quia usitata non raro emesim provocat, quam solertissime vitemus.

Abactis symptomatibus turgescentiae usus nitri procrastinetur ad sextum vel octavum usque diem.

Alterum remedium sub hoc morbi periodo est Calomel, maxime propterea aestimandum ob praestantissimam suam actionem in totum tractum intestinalem, ubi secretiones promovet uberiores et auget et sic ratione antagonistica effervescentiam in sphaera cerebrali culminantem compescit, quod a nullo alio tam egregie impetramus.

Administratur hoc praeparatum aut solum, aut in connubio cum aliquot granis Jalappae tostae, forma pulveris ad $^1/_4$ vel $^1/_2$ gran. omni hora aut bihorio et eousque continuatur, ut quotidie quinque vel sex motiones alvinae impetrentur. Seponatur illico Calomelanos usus, substituanturque mucilaginosa, dummodo vehementiores in abdomine dolores apparent, quos infantuli partim clamore et fletu, partim adductione femorum ad abdomen ostendunt.

Etiam hujus remedii propinatio ad decimum vel duodecimum diem procrastinetur.

Nota. Non est, qui moneamus, sub usu Calomelanos omnia acida evitanda.

Quandocumque sub sedula omnium a nobis modo enucleatorum indicatorum observatione symptomata morbi quidem pedetentim evanescunt, at urinae parcae adhuc fluunt cutisque magis sicca observatur, ne nimiae spei laetae quoad sanationem indulgeamus quaeso, nam non raro haec transitum in hydrocephalum factum significant. Hoc in casu nostrum est, actionem cutis et renum intendere quod conciliamus, si penes abdominis cum aceto squillitico inunctiones, et pediluvia tepida, Calomelem revocamus, huicque aliquid de Di-

gitali purpurea (ad gr. dimidium C. octavam grani partem pulv. Fol. Digit. purp.)

Si sub his circumstantiis sudorem amoenum universalem, si somnum tranquillum et refocillantem, si largam lotii missionem conspicere licet, tunc demum Prognosim laetam effabimur.

B.

Tractamen morbi,

versantis in stadio tertio.

Secundum opinionem et experientiam medicorum probatae fidei, hoc in stadio tantum quasi sub inchoamine primo transitus inflammationis, aliquid de therapiae successu praestolamur.

Perdurantibus ergo adhuc symptomatibus inflammationis omnia jam supra monita, gradui adcomodata amplectimur remedia. Evanito omni statu irritativo et transudatione jam conclamata confugimus ad Digitalem p. et Arnicam quorum priorem praescribimus forma pulveris ad $1/8$, $1/6 - 1/4$ gr. pro dosi vel forma infusi penes eandem quantitatem, posteriorem sub forma infusi ad semidrachmam pro calatura unc. sex omni bihorio aut trihorio cochlear cibarium parvum. Insuper etiam calomelem nuptam cum Rheo aut Jalappa. Quibus remediis incassum tentatis, nil superest, quam ut

derasis capillis universa cranii super-ficies vesicatorio cooperiatur. Enormem inde seri copiam mirabili cum effectu depluisse videbant. Formey etiam in hoc stadio ab emprocationibus frigidis multum sperat. Jörg Tincturam Jodinae proponit, quam si in uncia S. V. r. 48 gr. Jod. essent soluta — saltem omni sexta aut duodecima hora, ad guttam 1 — 4 ad summum cum pauxillo aquae remixtam porrigeremus.

Conclamato stadio quarto sorte aegri funesta nihilominus non praevertenda, in symptomatum lenimen cura dirigatur.

Alexipharmaca: moschus, spiritus cornu cervi succinatus, camphora et clysteres cum gummi resina Assae foetidae vitae extinctionem solummodo procrastinant.

Prophylaxis.

Permissum sit denique pauca de prophylaxi verba movere. Consistit haec in eo, ut omnes causae morbi solertissime evitentur. Potentissima momenta sistunt sequentia:

Quivis major affluxus sanquinis ad caput, transpiratio suppressa, retropulsio morborum cutaneorum, praepostera sanatio alvi profluvii, ulcerum, pharmaca narcotica; quapropter capitis debita cura, positio illius altior, custodia a violentiis externis, cunarum motus prohibi-

tus, fuga rerum svaveolentium, fumi carbonum et nicotianae in cubiculis infantum, temperatura eorum modica et constans, lucis ibi moderamen, aversio radiorum solis, sobrietas nutricis, alvi libertas, repetita tempore dentitionis sub faciei rubore capitisque calore, retro aures sine mora hirudinum applicatio, non neglectis sinapismis ad suras, cauta morborum cutis medela, abstinentia a pharmacis narcoticis strenue observetur. Ubi hydrocephalus acutus familiae cujusdam flagellum sistit, infantibus circa tempus suspectum corticem daphnes Mezerei brachiis ad lenem exulcerationem usque repetitis vicibus apponimus.

Literatura.

Omnibonus Ferarius de morbis infantum Lipsiae 1705.

Petit de l'académie des siensc memoires 1717.

Gaudel Dissertatio de hydrocephalo, Göttingae 1763.

Pitschel epistola ad Kulmium de hydrope interno. Lipsiae 1762.

Pohl programa de effusis in cerebro aquis. Lipsiae 1763.

Whytt Robert, observations on the dropsy iu the brain Edinburgh 1768.

Ludwig dissertatio de hydrope cerebri puerorum Lipsiae 1774.

Armstrong G., über die gewöhnlichen Kinderkrankheiten, aus dem Englischen von Dr. J. Ch. G. Schäffer, Regensburg 1786.

Odier med — chir. Abhandlung über die Wassersucht der Gehirnkammern, Manheim 1791.

Okely dissertatio de hydrocephalo acuto. Edinburgh 1791.

Lodemann J. G., Dissertatio de hydrope cerebri. Göttingae 1792.

Quin, Abhandlung über die Gehirnwassersucht aus dem Englischen von Ch. F. Michaëlis, Leipzig 1792.

Bader F. C., Geschichte der Wassersucht der Gehirnhöhlen, Frankfurth und Leipzig 1797.

Girtanner, Abhandlung über die Krankheiten der Kinder, Berlin 1794.

Monro Alex. Theres treatises and the brain the eye and the ea Edinburgh 1794.

Powel. Dissertatio de hydrocephalo acuto, Edinburgh 1798.

Schombard de hydrope ventriculorum cerebri, Druisburg 1799.

Saxdorf, Dissertatio de febri hydrocephalica, Hafn. 1786.

Kreissig, Dissertatio de hydrocephali inflammatorii pathologia, Wittenberg 1800.

Wichmann's Ideen zur Diagnostik, Hannover 1802.

Schäffer Ch. G., Kinderkrankheiten Regensburg 1805.

Plenk J. J., Lehre von der Erkenntniß und Heilung der Kinderkrankheiten, Wien 1807.

Henkes Adolph, Kinderkrankheiten, Frankfurt am Main 1809.

Cheyne, Versuch über den acuten Wasserkopf, aus dem Engl. von A. Müller, Bremen 1809.

Hopfengärtner, Untersuchung über die Natur und Behandlung der verschiedenen Arten der Gehirnwassersucht.

von Portenschlag, der Vater, über den Wasserkopf, Wien 1812.

Wendt, Bemerkungen und Beobachtungen über die hitzige Gehirnhöhlen-Wassersucht bey Kindern, nach dem Französischen des Milivié, Leipzig 1813.

Löbenstein — Löbel, Erkenntniß und Heilung der

Gehirnentzündung, des innern Wasserkopfes und der Krankheiten des kindlichen Alters, Leipzig 1813.

Wenzel, Bemerkungen über die Hirnwassersucht, Tübingen 1816.

Yeats Darstellnng der frühesten Symptome der Gehirnwassersucht aus dem Englischen von Dr. Kaufmann, Hannover 1816.

Frank J. P., epitome I C. p. 176.

Vesalii anot lib. I. c. V. de human. corp. fabrica.

Schenkii observat. med. lib. de hydrocephalo.

Rush, Bemerkungen von den Ursachen und der Heilart des inneren Wasserkopfes. Siehe Sammlung auserles. Abhdlg. für praktische Ärzte 17. B. S. 487.

Gölis Ant. Leop., prakt. Abhdlg. über die vorzüglichst. Krankheiten des kindlichen Alters, I. Bd., Wien 1820.

Formey J. L., von der Encephalitis der Kinder in seinen vermischten medizinischen Schriften, I. Bd. Berlin 1821, p. 167—208.

Jörg J. Ch. G., Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten II. Bd. Wien 1829.

Richters specielle Therapie nach den hinterlassenen Papieren herausgegeben von G. A. Richter.

Frank J., Praxeos medicae universae praecepta, P. II. V. I.

Nob. ab Hildenbrand F. Inst. med. pract. rudim. nosol. et ther. s. Viennae 1830.

Bischoff's J. R. Grundsätze der practischen Heilkunde, Wien 1830.

J. N. Nobil. de Raimann principia Pathologiae ac Therapiae specialis medicae usui academico adcomodata T. II. Viennae 1830.

THESES DEFENDENDAE.

1. Vasa spiralia plantarum sunt irritabilitatis et sensibilitatis organa.
2. Omnibus organismi partibus, quam diversae etiam sint, sine exceptione vita tribui debet.
3. Cultura hominum morborum augmentum.
4. Matrimonium morbos generat et sanat.
5. Causa abortus saepe in ligamentis uteri, peritoneo acretis haeret.
6. Innumerabiles dicis morbos, coquos numera.

   Seneca.
7. Doctrina de viribus suppressis summi est momenti atque eximiae in praxi medica utilitatis.
8. Ulcus veri nominis nunquam solis remediis topicis sanatur.
9. Cystotomia hypogastrica ceteris paribus semper praeferenda est laterali.

10. Curationis rationem optime molietur, qui ex praesentibus futura praenoscit.
Hippocrates.

11. In enteritide hirudines nullatenus venaesectionem supplere possunt.

12. Differt hepatitis a febri biliosa.

13. Encephalitis inter morbos infantiles est perniciosissimus.

14. Pannus non est, nisi crisis interrupta inflammationis conjunctivae blenorrhoicae in individuis scrophulosis.

15. Libri medici sint scripti latine.

16. Medicum castrensem, antequam studia medica altiora accedat, prius in ordine inferiori servivisse praestat.